

modo) sive ipsa ordinatio et consecratio a Deo instituta facit, ut talis jam supra plebem emineat divino jure.

Inst. 2. Idem TERTULL. loc. cit. subdit: *ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tinguis, et sacerdos es tibi solus; ergo.*

R. 1^o. Juxta Pamelium operum Tertulliani editorem accuratissimum, textus Tertulliani sic legendus est: *Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesie auctoritas, et honor per ordinis consessum sanetificatus a Deo. Ubi Ecclesiastici ordinis est consessus, offert et tingit sacerdos, qui est ibi solus.* Sic vero prorsus nihil ex TERTULLIANO evincitur.

R. 2^o. Permissa etiam lectione alia, Tertullianum intelligendum non de oblatione vera in sacrificio altaris, sed latius dicta, oblatione laudis, precum, aliorumque bonorum operum, respectu quorum, ut supra dictum, etiam laici vocantur sacerdotes metaphorice ac latiore sensu. Equidem etiam de tinctione baptismali ibidem loquitur, sed dispar ratio est; cum enim sacerdotes desunt, baptizare potest quilibet, etiam mulier, ob hujus sacramenti necessitatem.

25. *Obj. III.* Apostolorum ævo omnes fideles pares erant, nec Apostoli diversum a reliquis affectarunt ordinem; ergo. *Prob. A.* Ipsi Apostoli professi sunt, se eo electos a Christo, ut resurrectionis Christi testes agerent. *Actor. 1. 8.* prædicando Evangelium Doctorum munus exercerent, *Actor. 6. 4.* juxta illud Christi Matth. ult. *Euntes in mundum universum, docete omnes,* etc. itaque sine imperio omni ac vi persuaderent solum religionem Christi. At hæc communia erant fidelibus cæteris; nam testes resurrectionis Christi præter Apostolos fuerunt alii, quin femine: prædicabant, docebant alii plures. Sic PAULUS et BARNABAS prædicabant Antiochiæ adhuc laici, *Actor. 14. 23.* Imo post Apostolos Origenes etiamnum laicus ad publice docendum in Ecclesia invitatus ab Episcopis fuit, teste Eusebio Hist. Eccl. L. 6. cap. 49. nec aliunde laicali ordini docendi munus repugnat; ergo.

Conf. Ostendendæ hujus æqualitatis gratia ipsi Apostoli fideles omnes; sine discrimine, communi nomine appellabant *fratres*, *Actor. 15.* Late hoc argumentum deducit Boehmer. Diss. cit. ad Plin. et Tertull.

R. N. A. *Ad prob. 1^o. D. M.* Professi sunt se eo tantum electos a Christo N. etiam se instructos esse potestate sacra tam *ordinis*, quam *regitiva* et jurisdictionis C. Munus prædicandi Apostoli acceperant a Christo paulo ante Ascensionem his verbis Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* At vero potestatem *ordinis* in ultima cæna Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus eis datam potestatem in corpus Christi verum, et constitutos veros sacerdotes, passim evincunt Theologi, ut videre est in Tr. de Sacram. Euchar. Potestatem demum *jurisdictionis* post Resurrectionem acceperunt pluribus ante Ascensionem diebus, dum *claves regni calorum, potestatem ligandi, solvendi, peccata remittendi*; quin eandem potestatem, quam ipse habuit, concessit, Joan. 20. 21.

2^o. *Quoad min. N.* munus prædicandi commune fuisse omnibus; sed proprium hoc et *ordinarium*. Apostolorum fuit, ac tale Episcoporum mansit, qui Apostolorum successores sunt, adeo ut auctoritate *ordinaria* docere ac prædicare publice in Ecclesia nullus possit, nisi illam vel immediate a

Christo, ut Apostoli, vel ab Apostolis, eorumque successoribus acceperit, teste Paulo ad Rom. 10. 14. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur.* Unde et merito Tridentinum Sess. 5. cap. 2. de Reform. officium prædicandi declarat sic esse proprium Episcopis, ut nemo alius, nisi de eorum licentia illud exercere valeat. De Episcopi vero vel mandato vel consensu, prædicandi officium competit presbyteris, quin et diaconis. Sic, teste Possidio in vita S. Augustini cap. 15. VALERIUS episcopus Augustino presbytero suo prædicandi potestatem fecit, quod ipse, cum Græcus esset, minus commode latino populo prædicare posset; ac in Concilio Vasensi II. Can. 2. (Labb. t. 4. p. 1680. B.) Episcopi potestatem prædicandi fecerunt presbyteris; tum ibid. præcipitur, ut diaconi, quando non est presbyter, qui prædicet verbum Dei, homilias sanctorum Patrum, loco concionis recitent. Hoc sensu, ex facultate videlicet, leguntur prædicasse diaconi, S. Vincentius martyr, teste S. Augustino serm. 2. (al. 188. in app.) de S. Vincentio; Gregorius M. cum adhuc diaconus esset; qui idem ait L. 4. epist. cap. 88. (al. t. 3. p. 1288. in app. ad Epist.) officium prædicandi ad diaconos pertinere. At nunquam id commune fuit toti laicali ordini.

26. Quoad Paulum et Barnabam equidem eos Antiochiæ prædicasse constat ex *Actor. 14. 26.* non item eos saltem presbyteros non fuisse. Quin etsi tales nondum fuissent, nihil officit, cum uterque vi missionis extraordinariæ docendi ac prædicandi munus obivisset. Paulus quidem immediate ab ipso Christo missus ac destinatus Apostolus, *Actor. 9. 15.* ut portaret nomen ejus coram gentibus; unde et ad Gal. 1. 1. se Apostolum non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem pronunciat. Idem ad Rom. 1. 5. tum alibi declarat. Barnabas vero Antiochiam missus erat ab Apostolis *Act. 13. 22. vir bonus et plenus Spiritu sancto et fide*, ibid. 24. Missione vero extraordinaria etiam laicum docere aut prædicare posse, inficiatur nemo; potest enim Deus inspiratione sua immediata vocare aliquem ad executionem divinæ voluntatis suæ, eumque donis extraordinariis instruere, ut fidem inveniat, se legatione pro Deo, vel Christo fungi, sicut et Paulus se Evangelium accepisse per revelationem Christi, testatur ipse ad Gal. 2. v. 11. At istud negatur, ex prima institutione Christi munus docendi et prædicandi in Ecclesia, citra ullum discrimen, ex æquo omnibus competere.

27. Origenes tum saltem ex clero inferiore probabilius fuit; nam teste Eusebio eod. L. 6. cap. 3. ante a Demetrio Alexandrino instituendis catechumenis præfectus fuit; quod munus catechizandi aliquando ipsi subibant Episcopi; quandoque presbyteris conferebant; item diaconis, ut probat Bingham Orig. Eccles. vol. II. pag. 52. aliis autem, quam clericis ordinariam catechumenorum institutionem fuisse tum creditam, nullo, quod sciam, exemplo constat. Unde dum idem Demetrius Alexandro Hierosolymorum Episcopo, quo se Origenes contulerat, quique huic concionandi facultatem fecerat, objicit, quod eam homini laico dedisset, laicum sumit pro nondum presbytero; sic et Eusebius cit. non inquit Origenem fuisse laicum, sed solum non fuisse presbyterum. Deinde Alexander, quo præsentem concionabatur Origenes, hoc ei munus non tanquam ordinarium contulerat, sed

una alterave vice permisit; id vero potest de licentia Episcopi quicumque clericus, cum prædicatio ex se neque sit actus ordinis, neque jurisdictionis episcopalis, aut sacerdotis. Demum etsi laicus adhuc fuisset Origenes, nihil inde pro laicis omnibus inferri potest; cum enim Origenes jam tum ob eminentem prorsus scientiam et probitatem summæ esset admirationi et venerationi, ita ut teste Eusebio cit. c. 19. ad exteras passim provincias evocaretur, ut suam ibi doctrinam communicaret, poterat Alexander eum, velut dono scientiæ et sapientiæ divinitus instructum admittere, ut aliquando sermones haberet ad ædificationem populi, cum hoc non videatur excedere facultatem Episcopi; sicque in Origene fuisset missio extraordinaria, comprobata Episcoporum judicio, secus ac in cæteris laicis.

Ad Conf. R. D. Vocabant fratres charitate, fide *C.* potestate, et auctoritate *N.* Nam non obstante, quod sub una ratione fratres simus, sub alia tamen differentiam declarat Apostolus inter ipsos fratres 1. Cor. 12. 28. *Quosdam posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, etc.* et 19. *Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ?* etc. ac ad Ephes. 4. 11.

28. *Inst.* At S. AMBROSIIUS in commentario in epist. ad Ephes. (opp. t. 2. p. 2. p. 241. 242.) hæc quatuor clare tradit: 1°. Ab initio omnes docuisse. 2°. Postea vero crescente plebe constitutos esse rectores, seu presbyteros auctoritate Ecclesiæ. 3°. Inde cœpisse alieno ordine et providentia regi Ecclesias, postquam hæc differentia ordinem inter et plebem invecta fuit. 4°. Libertatem docendi tunc restrictam fuisse, ut sine auctoritate Episcopi hæc facultas exerceri non posset. En verba: *Primum omnes docebant, et omnes baptizabant, quibuscumque diebus, vel temporibus esset occasio... Ut ergo cresceret plebs, et multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est, et evangelizare, et baptizare et Scripturas in Ecclesia explanare. At ubi omnia loca circumplexa est Ecclesia, conventicula constituta sunt, et rectores, et cætera officia in Ecclesiis sunt ordinata.* Ergo.

R. 1°. Communi eruditorum hodie judicio commentarios illos in epistolas Paulinas non esse S. Ambrosii Mediolanensium Episcopi, cujus rationes reddit Bellarminus L. de Scriptorib. Eccles.; cujus vero sint, non omnino certum est: communi tamen opinione Hilario Sardo tribuuntur, olim Ecclesiæ Romanæ diacono et confessione celebri; at postea S. Damasi tempore in schisma Luciferianum lapso, ejusque propugnatori, uti et erroris rebaptizantium, hostique Romanæ Ecclesiæ præ aliis jurato, quam, quod hæreticorum baptismum admitteret, meretricem compellavit; sed quem idcirco S. Hieronymus castigavit, eum *Deucalionem orbis* appellans Dial. cont. Luciferian. Neque mirum esse debet, inquit Bellarminus ibid. Hilarium illum a S. Augustino *sanctum* vocari, cum nuncupatio ista tunc satis communis esset christianis, maxime Ecclesiasticis. Non est igitur, quod, si vere is auctor commentariorum illorum sit, ejus auctoritati aliquid concedamus.

R. 2°. Cujuscumque ii commentarii sint, omnia aptissime explicantur: nam 1°. *Dist. Omnibus* inter initia concessum est *evangelizare, baptizare, Scripturas explanare*, qui extraordinarie ad hoc missi, ideoque gratiis gratis datis instructi *C.* secus *N.* Numquid enim omnes Apostoli? omnes Prophetæ? omnes Doctores? omnes Evangelistæ? Alii loquebantur linguis, alii

prophetabant; alii curabant, Deo pro suo placito sua dividente charismata. 2°. *Ly omnibus* bene exponi potest de clericis, maxime diaconis, quibus sec. IV. quo vixerat ille personatus Ambrosius, jam non omnia erant permessa, quæ Apostolorum tempore, nisi speciale haberent mandatum Episcopi, ut jam Tertullianus de suo notavit tempore L. de Baptismo. c. 17. Quin et S. IGNATIUS epist. ad Smyrnens. (PP. apostol. opp. p. 231. edit. Hefel.) *Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant... Non licet sine Episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare, etc.* Inde est, quod pergat auctor: *At ubi omnia loca circumplexa est Ecclesia, conventicula constituta sunt, et rectores et cætera officia in Ecclesiis sunt ordinata, ut nullus de clericis auferet, qui ordinatus non esset, præsumere officium, quod sciret non sibi creditum, vel concessum... Hinc ergo est, unde nunc neque diaconi in populo prædicant, neque clerici, vel laici baptizant, etc.* sensus enim est: Olim clerici omnes, imo laici extraordinariis donis instructi missique quædam obibant officia, instructionis, baptismi, quæ Ecclesia nunc late extensa, et pace fruens solis rectoribus, sive Episcopis et Presbyteris, non autem Diaconis, aliisque de inferiore clero concessit. Inscite vero Boehmerus contendit, nomen *cleri* ab auctore hic sumi pro *fidelibus*, cum planum sit, hunc nomine *cleri* non nisi clericos intelligere, ut distinctos a laicis et fidelibus ipsosque diaconos tanquam superiores a cæteris clericis; dum inquit: nec diacono hodie integrum esse docere publice; nec clericis, vel laicis baptizare, nimirum solemniter, vel extra casum necessitatis. Demum propositæ occasione objectionis

29. *Observa.* In Apostolis diligenter distingui oportere *munus Apostolicum*, tum *potestatem*, cujus distinctionis neglectus Novatores ultimos in illam rerum confusionem quoad hierarchiam Ecclesiasticam induxit, cum præceptis iis, quæ Christus Apostolis dedit pro executione muneris Apostolici, totam Apostolorum auctoritatem definitam vellent. *Munus Apostolicum* totum in prædicando Evangelio, instruendo, docendo, verbo: in persuadenda Christi religione, seu *fide* situm est. Vi muneris Apostolici convinci intellectus debet, non vi compelli: ipsi vero viri Apostolici sine ambitione, dominandi libidine, sine armis; sed non nisi charitate, lenitate, mansuetudine trahere debent ad Christum populos. Atque hoc præcepta illa volunt, quæ Christus Apostolis dedit, dum eos ad prædicandum misit, voluitque ut irent sine sacco, sine pera; nihil proprii possiderent; docerent; non baptizarent nisi volentes.

Sed præter munus Apostolicum, aliam iis insuper *potestatem* contulit; eamque triplicem: 1°. Apostolis *qua talibus* propriam, sicque *personalem*, sitam in auctoritate prædicandi ubivis gentium, fundandi Ecclesias, edendi miracula, scribendi libros sacros, etc. 2°. *Ordinis* Luc. 22. ut supra dictum et Tr. de Sacram. in gen. disp. 3. de Euchar. eos formando sacerdotes, Episcopos autem Joan. 20. *Sicut misit me, etc.* 3°. *Jurisdictionis*, cum enim Christus præsciret, plerasque gentes Evangelium amplexuras, sicque in cœtum, vel Ecclesiam coituras; hanc vero æque parum sine forma imperii posse consistere, ac quamvis aliam late diffusam rempublicam, illi de forma regiminis providere voluit, fecitque, potestatem regitivam Apostolis cum imperio conferens, eum claves regni cœlorum, potestatem ligandi, solvendi, peccata remittendi, imo eandem potestatem iis daret, quam ipse habebat Joan. 20.

cit. Ac reipsa se potestatem illam accepisse, passim testabantur Apostoli. Inde enim inquit Paulus Act. 20. 28. *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Cum leges daret: *Hoc autem præcipio.* 1. Cor. 2. 35. *Cætera, cum venero, disponam.* ibid. ac passim alibi de quo plura vide Tr. de Legibus. Ac quoniam rempublicam illam sacram, Ecclesiam suam Christus non ad suam duntaxat, ac Apostolorum ætatem, sed ad mundi usque finem perdurare voluit, regitiva illa potestas ad Apostolorum successores transire debuit. Vel, si Christus tunc aliam induci formam in Ecclesiam voluit, ostendant adversarii, ubi voluerit. Certe Episcopi illi Actor. 20. cit. qui jam in munere pastorali succedebant Apostolis, regitivam illam potestatem a Spiritu sancto acceperant, quidni similiter alii?

ARTICULUS III.

AD QUEM PERTINEAT JUS INSTITUENDI MINISTROS ECCLESIE?

30. *Nota.* Sub generali *institutionis* nomine tria hic veniunt: electio, ordinatio, vocatio sive missio. Electio est certæ personæ ad præfecturam Ecclesiæ designatio. Ordinatio sacer ille ritus est, quo ministri consecrantur, iisque exercendi functiones sacras in Ecclesia potestas confertur, ut dum inungitur et consecratur Episcopus vel Sacerdos. Missio sive vocatio jurisdictionem confert, reque ipsa et actu Pastorem et Præsulem facit. Est igitur celeberrima controversia Catholicos inter et Novatores ultimos, penes quem jus illud resideat ministros Ecclesiæ, pastores præsertim Episcopos ita instituendi? Jus *ordinandi* ex lege divina Christi solis Episcopis competere dicetur infra, ubi de ministro Ordinis. Pariter non esse populi alteriusve, sed Episcoporum, maxime summi Pontificis *vocare* sive *mittere* ministros, ex iis abunde constat, quibus tum Tr. de Princip. Theol., tum Tr. de Legib. demonstratum, ecclesiasticam jurisdictionem non esse in ipso cœtu fidelium, sed principaliter in Romano Pontifice D. Petri successore, deinde in Episcopis; sed et colligetur ex sequentibus, quibus demonstrabimus, electionem ministrorum populo haud competere, ex quo majori certe ratione sequitur, vocationem seu missionem ad eundem non pertinere. Solum igitur hic in controversiam venit: an electio ministrorum, etiam ad populum, et quidem jure divino pertineat? Dixi *jure divino*: nam et populo et cæteris ex laicorum ordine posse *jure humano*, concessione Ecclesiæ, uti jus præsentandi, nominandi, sic et eligendi convenire, facile concedunt Catholicis.

Duplex vero circa hanc controversiam occurrit Novatorum error. Primus Joannis Wicleffi et Joannis Huss, docentium, teste Thoma Waldensi L. 2. Doct. fidei. c. 39. Dei solius munus esse eligere Pastores Ecclesiæ, quod soli pii et prædestinati esse possint Pastores et Episcopi, solus vero Deus noverit, qui pii et prædestinati sint. Colligitur hic eorum error amplius ex Conc. Constantiensi, quod Sess. 8. damnat hunc articulum Wicleffi octavum: *Si Papa sit præscitus et malus, non habet potestatem super fideles*, et hunc quadragesimum: *Electio Papæ a Cardinalibus per diabolum est introducta*: tum Sess. 13. hunc Joannis Huss 22. *Papa, vel Prælatas malus et præscitus*

est æquivoco Pastor: ac 26. qui ex priore deducitur: *Non eo ipso quo electores, vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa. Unde sive electores bene, vel male egerint, operibus electi debemus credere.*

Alter est Lutheri L. de potestate Papæ, item Calvini L. 4. Instit. cap. 3. §. 15. tum quorundam Protestantium hodie, totam ministrorum institutionem jure divino ad Ecclesiam universam, hoc est, clerum et populum pertinere volentium, adeo ut sine populi consensu ac suffragio nemo legitime electus, aut vocatus censendus sit. *Hunc ritum*, inquit Lutherus L. cit. *per multas epistolas Cyprianus commemorat, semper suffragium populi, et judicium propinquorum Episcoporum ita allegans, ut hanc ex Deo ordinationem esse cum fiducia pronunciet.* Calvinus in eundem sonum concinit cit. loc. *Habemus esse hanc regulam, ex verbo Dei ministri vocationem, ubi ex populi consensu et approbatione creantur, qui visi fuerint idonei; præesse autem debere electioni alios Pastores, ne quid vel per levitatem, vel per mala studia, vel per tumultum a multitudine peccetur.* A quibus tamen eatenus recessit potior hodie Protestantium pars, ut principibus omnem sicut regionis, ita religionis, ac in specie constituendorum ministrorum curam vindicet, sive quod populus jus hoc transtulerit in principes, ut sic tamen adhuc suo modo eligantur ex consensu populi, ut alii rursus cum Pfaffio volunt: sive quod jus hoc pars sit juris majestatici, illive inhæreat, ut iterum alii sentiunt, ut vides in relato eorum systemate n. 8.

At contra tuentur consensione unanimi Catholicis omnes, jus eligendi ministros Ecclesiæ *ex jure divino* prorsus non pertinere ad populum, neque ad principes; sed quidquid juris in electione Episcoporum habuerunt, vel adhuc possident, ex Ecclesiæ, vel summi Pontificis concessione esse unice derivandum. Proin

31. *Dico I.* Electio Ministrorum Ecclesiæ non fit a solo Deo. Contra Wicleff. et Huss.

Prob. I. Auctoritate Scripturæ S. ex qua constat, ab ipso Christo electum fuisse Judam, Joan. 6. qui tamen minime e numero prædestinatorum fuit: *nonne*, inquit Christus, *ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est?* quæ Christi sententia unice Judam ferit.

Prob. II. Auctoritate Patrum e quibus sequentes delibare sufficit. Ac primo ORIGENES hom. 4. in Lib. Jud. (opp. t. 2. p. 466. 467.) pluribus commonstrat, non raro providentiam divinam ad puniendam peccata efficere, ut impii non regnis modo, sed etiam Ecclesiis regendis præsent. S. CHRYSOST. hom. ult. in epist. ad Hebr. (opp. t. 12. p. 311. et seqq.) S. AUGUSTINUS Lib. 2. c. 4. contra epist. Parmen. S. BERNARD. serm. 66. in Cant. velut data opera, docent, etiam pravos, si modo legitime eligantur, veros esse Episcopos, idque amplius Bernardus (opp. t. 1. p. 1498. D.) confirmat argumento a Caipha desumpto, qui verus fuit Pontifex, tametsi reprobis; cum ejus Pontificatus gratia ipsi daretur a Deo, ut prophetaret, Joan. 11.

Prob. III. Ratione. Si solus Deus per se Pastores eligeret, nesciremus, quinam veri essent Pastores, possetque quilibet ambitiosus se a Deo electum jactare, non sine perturbatione Ecclesiæ; sicque talis electio nihil prorsus prodesset.